
IN ORTU
SERENISSIMI PRINCIPIS
LUDOVICI
BURGUNDIAE DUCIS
ORATIO
HABITA IN COLLEGIO ROMANO

X. KAL. JANUARIAS CIↃIↃCCLI.

A JOSEPHO MARIA MAZZOLARIO

E SOCIETATE JESU.



ROMAE CIↃ. IↃ. CC. LI.

EXCUDEBAT GENEROSUS SALOMONI

IN FORO SANCTI IGNATII.

SUPERIORUM FACULTATE.

EXCELLENTISSIMO DOMINO

LUDOVICO JULIO

BARBONIO MAZZARINO MANCINIO

DUCI NIVERNENSI

Pari Franciae , Hispaniarum Magnati , Regiorum in Gallia Ordinum Equiti , Christianissimi Galliae ac Navarrae Regis LUDOVICI XV. *Extraordinario ad Sanctam Sedem Legato .*

JOSEPHUS MARIA MAZZOLARIUS
F.



ORATIO haec , siquidem publici juris fieri debebat , nemini fidentius erat inscribenda quam Tibi , LUDOVICE DUX AMPLISSIME . Nam

auctoritate , atque adeo efflagitatu Tuo prodit in lucem , ut propterea acre de ea Doctorum hominum judicium vereri non admodum debeam, qui me qualicumque hoc meo dicendi genere ſatis Tibi probarim , Viro & doctiſſimo & eruditiſſimo . Accedit eo, quod eamdem praeſentia cohoneſtaveris Tua, effeceriſque, ut ad confertiſſimam lectiſſimamque frequentiam a me recitaretur . Convocatis enim ex Ampliſſimo Cardinalium Collegio iis, quibus apud Apoſtolicam Sedem externorum Regnorum tutela ac procuratio demandata eſt , omnibuſque omnium Principum Legatis, & ex primis Ordinibus nobiliſſimis quibuſque ac ſapientiſſimis , ejus diei celebritatem, quo habita haec oratio fuit, multo ſane majorem reddidiſti, quam

ut

ut aut a me, aut a Sodalibus meis
requiri vel exſpectari poſſet. Quod
cum feceris, id nobis maxime perho-
norificum duximus, atque in hoc con-
ſilium demirati ſumus Tuum, qui non
minus attenderis, quid a Te fieri Tua
humanitas poſceret, quam ſpectave-
ris, quid rei, qua de agebatur, digni-
tas ac magnitudo poſtularet. Soda-
lium enim meorum nomine publicum
& illuſtre ob feliciſſimum atque exo-
ptatiſſimum SERENISSIMI BURGUN-
DIAE DUCIS ortum, gratulationis offi-
cium perſolvendum erat; multa proin-
de de Gallorum Regum, atque adeo
de LUDOVICI Decimi Quinti, ejuſ-
que Regii Filii laudibus, multa etiam
de Gallicae Gentis virtute praeſtantia-
que dicenda. Quae omnia cum plane
perſpiceres, ſuiſque momentis ponde-

rares,

rares , nihil omittere voluiſti , quod ad illam celebritatem augendam conferre poſſet ; neque oratoris ipſius infantia obfuit , quo minus , uti ſemper conſueſti, faceres & humaniſſime & ſplendide . Humaniſſime quidem , cum libenti gratoque animo , quae a me dicta ſunt, & paene ante quam dicerentur , exceperis ; ſplendide autem , cum ad me audiendum ea nobilium aſſectatorum frequentia pompaque acceſſiſti, quae non modo Regii Legati perſonae, quam ſuſtines, conveniret, ſed Regii ipſius Infantis , cujus ortus celebrabatur , praeſtantiſſimae dignitati propemodum reſponderet . Tibi igitur Orationem hanc tot nominibus debitam dedico conſecroque , quam pro immortalibus Tuis erga me promeritis in grati animi teſtimonium ac-

cipias

cipias velim . Non ego hoc loco nobiliſſimae Familiae Tuae decora perſequar , quae multo notiora ac celebriora ſunt, quam ut a me commemorari atque illuſtrari debeant : cum praeſertim tot tantiſque ornamentis Tu ipſe abundes & pietatis , & doctrinae, & eruditionis , & ſummae in graviſſimis obeundis expediendiſque negotiis prudentiae ac dexteritatis, ut minime neceſſe habeas , Majorum Tuorum laudibus virtutibuſque cenſeri. Hoc tantum dicam: Te, qui origine Italus atque ex Patritiorum Ordine Romanus es, ortu vero ac domicilio Gallus, quae in utraque natione egregia ſunt, ita eſſe complexum, ut in Te uno maxime emineant univerſa. Sed modeſtiae Tuae parcendum eſſe video . Itaque plura non addam , ſatiſque

que me conſequutum arbitrabor , ſi hoc , tenue licet , obſequii atque obſervantiae erga Te meae documentum exſtabit.

Romae Pridie Kal. Jan. CIƆIƆCCLI.



ORA-



ORATIO.



UOD a Deo Optimo Maximo diu multumque precati sumus, ut acerbiſſimum taeterrimumque bellum multis jam ante annis potentiſſimorum Regum ſimultate ac contentione ſuſceptum, & partim fortiſſimorum Imperatorum virtute, partim novis Regum ipſorum offenſionibus, ad haec uſque tempora productum ac continuatum, mutuis tandem aliquando diſſidentium officiis componeretur, animoſque noſtros a diuturna cura atque moleſtia liberatos ad pacis atque otii ſtu-

dia convertere liceret: hoc, immortali Dei ipsius beneficio, cum summo atque incredibili totius Christiani nominis gaudio, cumulatissime nos esse consequutos, jure optimo possumus gratulari. Exstincta est exitialis ac fœda illa flamma, quae totam Europam pervasit, atque ita exstincta, ut brevi tempore nulla maximi funestissimique incendii vestigia futura sint. Non jam amplius militarem licentiam atque libidinem, non agrorum vastationes, non direptiones oppidorum, non caetera belli incommoda pertimescemus. Jactati longa periculosaque tempestate, ea spe jam portum ingressi sumus, ut nulli posthac venti nos inde abstracturi sint, quibus iterum in altum provehamur, novisque turbinibus ac tempestatibus jactandi obruendique objiciamur. Nam, quod non solum ad tollenda belli dissidia, sed etiam ad stabiliendam confirmandamque quamdiutissime pacem opportunum maxime, atque adeo necessarium videbatur, id quoque nobis a Deo ipso sponte datum atque oblatum est. Vidimus enim proximis hisce annis clarissimorum Regum fortunata connubia, ex iisque susceptam prolem omnibus laetitiae significationibus prosequuti sumus. Et merito quidem. Namque illud caput est regnorum felicitatis, ut Reges Regibus legitimo jure succedant: qua una maxime ex re reliqua omnia

omnia populorum commoda consequuntur. Gavisi igitur summopere ac jure sumus, cum diversis ex partibus ad nos venerint, qui in lucem editos florentissimorum Regnorum haeredes successoresque nunciarent. Quid vero? cum nuperrime ad hanc Urbem optatissimus nuncius perlatus est, SERENISSIMUM GALLIARUM DELPHINUM ex lectissima Conjuge suscepisse filium, nobilissimamque Familiam nova prole auctam atque amplificatam: quanta exstitit totius Civitatis laetitia, quantum bonorum omnium gaudium, quanta omnium ordinum, generis, loci ac fortunae hominum, quamque effusa gratulatio! Prope ante oculos vestros, Quirites, etiamnum versantur magnificentissimi apparatissimique ludi, ab ornatissimo hoc & rebus omnibus praecellentissimo LUDOVICI Regis ad Pontificem Max. Legato non multos ante hos dies facti, atque a vobis summo concursu frequentiaque celebrati. Adhuc aures nostrae laetis faustisque populi acclamationibus personant; necdum motus ille exsultantium animorum, & tamquam non in Galliae solius, sed in communi salute ac felicitate laetantium, penitus conquievit. Quamobrem eccui vestrum, Quirites, mirum videri poterit, si hoc ipsum Gregorianum Lyceum in partem communis laetitiae venire gestiat, & vocem quodammodo mittere

indicem erga nobilissimam BORBONIORUM Familiam totamque Gallicam gentem studii ac voluntatis, & morem publicarum hujusmodi gratulationum, aliquamdiu in hoc Gymnasio intermissum, revocare? Intermissionis autem causam non voluntas, sed quaedam necessitas attulit. Nam quis locus, aut inter ipsos armorum tumultus, aut nondum plane quietis tranquillatisque rebus oratori esse poterat? Nunc vero, cum res eo, summa erga nos Dei benignitate, devenerint, ut & nulli armorum fragores exaudiantur, & prope certa atque explorata pacis longum duraturae spes ostendatur, quid est, quod nos prohibeat, quominus diuturno silentio modum aliquando faciamus, atque ad pristinum dicendi morem consuetudinemque revertamur? Facite igitur, Quirites, ut me de Gallici Imperii felicitate, quam in faustissimo auspicatissimoque SERENISSIMI BURGUNDIÆ DUCIS ortu magis magisque constitutam ostendam, non attento solum, sed libenti etiam studiosoque animo dicentem audiatis. Mea enim in eo genere versatur oratio, quod minime sola attentione contentum sit, sed studium praeterea vestrum efflagitet, ac benevolentiam requirat. Est vero id non aequissimum modo, verum etiam vobis multo facillimum. Nam, cum de Gallici Imperii felicitate dico, illud cogitare

vos

vos decet, me de florentissimo Regno dicere, de Gente huic Urbi amicissima atque addictissima, &, quod praecipuum est, quæ eorum Regum dominatu regitur, qui ob praeclara atque immortalia erga Sanctissimam hanc atque Apostolicam Sedem merita, Christianissimorum Regum nomen obtinuerunt; ut propterea de eorum commodis, aeque ac de vestris, vehementer gaudere vos ac laetari prope necessario debeatis.

Atque ut sine cunctatione ad id, quod posui, veniamus; quantae illud Gallici Imperii felicitati adscribendum putatis, quod, cum omnium fere Imperiorum aut vetustissimum haberi debeat, aut cum antiquissimis vetustate ac gloria certet, nunc ita fundatum ac constitutum sit, ut, quantum homini de futuris eventibus conjectare licet, plane confidere possimus, fore perpetuum, neque ullam umquam aetatem ei finem esse aliquem allaturam? Nam, quod ad regnorum diuturnitatem perpetuitatemque maxime facit, id Gallico Imperio ita tributum est, ut prope ad aliorum Imperiorum invidiam datum ac concessum esse videatur. Non enim ulla Imperia satis firmiter constituta, & ad longinquum atque adeo ad sempiternum tempus stabilita existimare debemus, nisi is sit rerum status, ut, qui regnat, subditas habeat fidelesque provincias, populos dicto

dicto audientes, ornatissimas instructissimasque classes & copias, quibus & possessa tueri, & nova acquirere, & ablata recuperare possit, maxima vectigalia certosque reditus, qui nervi reipublicae esse dicuntur, denique, quod amplitudinis est, ditionem longe lateque diffusam ac propagatam. Quae omnia, atque alia multa, quae hic consulto praetereo, quam summa in Gallico Imperio sint, & hactenus fuerint, quis vestrum est, Quirites, qui aut propter florentissimi regni vicinitatem praesens non viderit, aut propter rerum famam ac celebritatem absens non cognorit? Nam & Gallicum Imperium in ipso quodammodo Europae sinu ac gremio collocatum est, & alluitur mari, & Alpium vallo ab Italia, & Rheni fossa illa gurgitibus redundante a Germania disterminatur: tanta loci opportunitate, ut, cum longissime latissimeque pateat, hostilibus tamen infestisque finitimarum gentium incursionibus obstructum penitus atque interclusum sit. Quo factum fuit, ut, non nisi aegre ac summa cum difficultate, olim eo Romanorum arma penetrarint, & Romani ipsi a Gallis non raro pulsi superatique fuerint, & praeceps ille incitatusque victoriarum cursus saepe repressus sit ac retardatus. Ipsa vero forma regionis quam dignitatem, quam speciem

ciem habet! quae magnitudo fluminum! quae commoditas portuum! quae pulchritudo urbium! quae celebritas oppidorum! qui agri! quam natura uberes! quam industria culturaque feraces! ut fortunatissima gens in summa rerum omnium abundantia affluentiaque versetur. Mores autem hominum quales sint, quod incolarum ingenium, quae studia plurimarum artium atque optimarum, quid me attinet commemorare? cum ea in Urbe versemur, in qua bene multos ex primis ordinibus nobilissimae nationis spectatissimos atque ornatissimos viros quotidie ob oculos habeamus, ex quibus facile de reliquorum indole, moribus, doctrina, elegantia, humanitate conjecturam capere possimus. Omnino ejus gentis tale tantumque ingenium semper fuit, ea Gallorum animi vis, ut ad summa quaeque a natura facti comparatique, in quamcumque partem se dederint, & sive ad pacis atque otii, sive ad belli atque armorum studia incubuerint, aut primas tenuerint, aut certe praestantissimis cultissimisque totius Europae nationibus nihil umquam vera de laude concesserint.

His aliisque quamplurimis qua naturae, qua industriae subsidiis Gallicum Imperium hactenus viguit: quae cum praeclara, tum vero ad stabiliendam confirmandamque dominationem esse

esse maxime necessaria nemo non videt. Atqui confitendum tamen est, ea non esse ejusmodi, ut sola plenam felicitatem cumulatamque conficiant, & aliud praeterea quiddam requiri, quod nisi magnis Imperiis accesserit, eorum felicitatis saepe omnis ratio perturbatur. Recordamini, Quirites, atque animis vobiscum ipsi reputate amplissima & vetustissima Imperia, ita fundata ac constituta, ut nullum umquam interitum habitura viderentur, cum opibus affluerent, cum omni copiarum genere abundarent, cum rerum praeclare gestarum gloria florerent, subita tamen veluti ruina concidisse: casum porro fuisse ejusmodi, adeo gravem, adeo fatalem, ut se aut omnino numquam erexerint, aut non nisi longo post tempore recrearint. Fractae interim regni opes ac comminutae, divulsae distractaeque provinciae, vastatae populataeque miserandum in modum regiones, agri direpti, exinanitae urbes, viduata oppida, exhaustum aerarium, omnia denique a pristina illa felicitate ad miserum repente statum calamitosumque prolapsa. Atque hujus quidem infelicissimi status luctuosissimaeque conditionis is plerumque sensus est, molestus adeo atque acerbus, ut ad florentem illam ac beatam fortunam evasisse numquam, quam aliquando ab eadem dejici ac deturbari, praestiterit.

ſtiterit. Quid enim aerumnoſius, quam ex beato miſer? cum praeſentem aegritudinem animi ſuperiorum temporum memoria non ſolum non levet, ſed etiam ex utriuſque fortunae, cum ſecundae, qua nuper ſtetit, tum adverſae, qua modo jacet, inter ſe contentione, multo acriorem atque acerbiorem efficiat.

Sed quid tandem illud eſt, quod unum ſi deſideretur, caetera regni optime quantumlibet conſtituti ornamenta atque praeſidia prope nulla futura ſint? Jam, opinor, animo praecipitis, Quirites, quod dicturus ſum, &, quo mea contento curſu feſtinat oratio, cogitatione ipſi veſtra jam perveniſtis. Illud enim videre vos arbitror planeque perſpicere, nihil propemodum opes, amplitudinem, potentiam, rerum geſtarum famam profutura, niſi praeſto ſit is, cui iſta relinquantur, quique tot tantiſque majorum ſuorum praeſidiis inſtructus, & nova ad amplificationem Imperii quaerere, & multo labore parta atque quaeſita tueri ac conſervare poſſit: qui ſi deſit, aut repentino aliquo caſu ablatus, aut propter conjugum ſterilitatem omnino numquam ſuſceptus, quid aliud exſpectandum eſt, niſi bella, tumultus atque diſsidia? quae etſi graviſsima mala ſint multo leviora tamen ac tolerabiliora judicari debent, ſi a Regni ipſius

exitio atque interitu sejungantur. Id enim illa ipsa, quae supra commemoravi ornamenta, magna sane atque praeclara, efficere ferme solent, ut plurimorum animos ad se alliciant, & oblata lucri spe, ad cupiditatem vehementius inflamment. Constat enim, vacua successore Imperia, tamquam praemium aliquod, de eorum possessione, legitimo, uti credere fas est, jure certantibus esse proposita: certamen autem tanto gravius esse, ac majori cum populorum calamitate conjunctum, quanto illa opulentiora sunt, majusque victoribus commodum utilitatemque allatura. Quamobrem nemini mirum videri debet, si fere universae gentes in eo consentiant, ut nihil tam exoptent, quam suorum Principum fœcunditatem, nihil aeque atque eorundem sterilitatem reformident, quam profecto intelligunt planeque perspiciunt vix umquam a maximo populorum damno ac pernicie posse sejungi. Quod periculum si regiae Sobolis procreatione eos depellere contigerit, tum demum omnem sollicitudinem ac metum abjiciunt, votique compotes facti, &, quod ardentissime concupierant, adepti, beatos se ac felices arbitrantur.

Atque hoc ego nomine beatam ac felicem, atque adeo prae cunctis gentibus beatissimam ac felicissimam cum semper, tum hoc praecipue tempo-

tempore Galliam praedico. Unde enim factum existimatis, Quirites, ut Gallicum Imperium quinto ipso post Christum natum saeculo a Merovaeo illo clarissimae Merovingiorum Familiae principe atque auctore felicissimis auspiciis conditum ac fundatum, in tanta rerum vicissitudine ac varietate, tanta annorum atque adeo saeculorum diuturnitate, ad nostram usque aetatem integerrimum ac florentissimum perseverarit? an putatis, in pacis veluti gremio perpetuo conquiesse, ut propterea nulla neque externorum neque domesticorum armorum impressione dejici atque everti potuerit? Deus immortalis! ecquod bellum aut magnitudine grave, aut exitu formidolosum, aut genere ipso necessarium umquam fuit, vel esse potuit, in quo illud varia atque diversa, cum Europae, tum Galliae ipsius, eaque difficillima tempora non exercuerint? quam multa arbitramini ad Imperii propagationem bella a Gallis fuisse gesta! quam multa ad fœderatorum ac sociorum auxilium suscepta! quam multa ad vindicandas propulsandasque finitimorum injurias illata! quam denique multa ad propugnandam Catholicam Religionem conservandamque confecta! Quid? censetisne militarem disciplinam, quae semper in Gallia maxime viguit, sine maximis bellis vigere potuisse?

Mitto igitur, quae mari plurima celeberrimaque gesserunt; mitto, quae extra Europam, quae in Asia, Africa, atque America, ut nullus propemodum in toto terrarum orbe locus adeo inaccessus ac sepositus sit, ora nulla tam longinqua atque deserta, quo victricia Gallorum arma non penetrarint. At haec externa sunt. Quid illa domestica? quam diuturna fuerunt! quam acerba! quam luctuosa! quam saepe (quod fatum fuit omnium omni tempore populorum triste ac lacrymabile) illi ipsi opimi ac feraces Galliae campi, qui saepius caesorum hostium cruore redundarunt, civili sanguine maduerunt! Jam vero tot ac tam varia genera bellorum, tam longe lateque diffusa, conflata ex potentissimis nationibus ac bellicosissimis gentibus, terrestria, maritima, externa, civilia, taeterrima omnia periculosissimaque, numquamne Imperium hoc concutere, numquamne labefactare potuisse? semperne ab ultima usque stirpe atque origine idem mansisse! floruisse semper! atque ad aetatem hanc nostram non modo non imminutum, sed novis subinde provinciarum atque adeo regnorum accessionibus auctum atque amplificatum perdurasse! Quid hoc est, Quirites? quam novum! quam inauditum! quam inusitatum! quam singulare! quid dicemus? quam rationem hujusce rei excogitabimus? quid causae fuisse arbitrabimur? Ego

Ego vero, post Dei Optimi Maximi, omnia sapientissime moderantis ac gubernantis, consilium, id potissimum perpetuae cuidam ac plane admirabili Regiarum in Gallia stirpium propagationi adscribendum puto. Quis enim, aut esse factum, aut fieri potuisse censeret, ut Regnum tam vetustum ac diuturnum, cujus fundamenta inde usque a saeculo quinto jacta sint, tribus tantummodo regiarum Familiarum stirpibus contineretur? Atqui ita est, Quirites: praeter has tres, quas dixi, stirpes, Merovingiorum primam, Carolinorum alteram, Capetianorum tertiam, nullam omnino aliam reperietis, quae regio nomine ac jure totos mille ac trecentos, & eo amplius annos Gallis imperitarit. Et prima quidem, cujus auctor Merovaeus fuit, ab anno quadringentesimo quadragesimo octavo regnum auspicata, ad septingentesimum quinquagesimum secundum viguit: altera, quae Carolinorum a Carolo illo Magno, in quem Romanum ipsum Imperium translatum fuit, est appellata, cujus Caroli pater Pipinus statim a primae exactione stirpis regnare cœpit, ad annum nongentesimum octogesimum septimum perpetua stirpis successione pertinuit. Quid vero tertia, priorum duarum longe clarissima ac nobilissima, Capetianorum? Jam subductis vobiscum rationibus tenetis, Quiri-

Quirites, poſtremam hanc ſtirpem, ab Ugone Capeto ad hunc LUDOVICUM Decimum Quintum toti Galliae modo feliciter imperantem, incredibili quadam longiſsimae ſucceſsionis perpetuitate fuiſſe propagatam. O rem novam prorſus atque admirabilem, & Galliae ſolius propriam ac ſingularem! Ecquam gentem, ecquam nationem aut legiſtis aut audiſtis umquam, quae tamdiu Regibus ſuis ex eadem ſtirpe progenitis ac procreatis uſa fuerit? cujus populi, ſi Francum excipiatis, iſta tanta felicitas umquam exſtitit? Cui Imperio tanta diuturnitas contigit, quanta Gallico? Conſulite, ſi placet, omnes Regnorum omnium hiſtorias, totam, quam longe lateque pertinet, inveſtigate antiquitatem, &, quantum poteſtis, vetuſtiſsimarum rerum memoriam eruite ultimam: nullum profecto e Chriſtianis quidem Regnis tam diuturnum proferri poterit, Regia Familia nulla, quae diutius cum Imperio fuerit, nulla denique gens, cui tanta felicitas obtigerit, ut Principibus, quibus commodis ac beneficentiſsimis primum uſa ſit, iiſdem perpetuo ex eadem ſtirpe ſubmiſsis, ſibique invicem continuata, & octingentorum annorum ſpatio non interrupta ſerie ſuccedentibus frueretur.

Jam vero in tanta diuturnitate temporum ac longinquitate, quam multas quamque calamitoſas Regnorum ac provinciarum viciſsitudines

dines Galliam vidiſſe arbitramini ? Nolo hoc loco commemorare, Quirites, quanta hiſce annis rerum omnium tota Europa facta converſio ſit, ne, dum Gallici Imperii ac Galliae ipſius felicitatem extollo, reliquorum populorum cicatrices, nondum fortaſſe plane obductas, praeteritarum acerbitatum recordatione refricare videar; ſed tamen quanta rerum mutatio tota Europa ac converſio exſtitit! quanti tumultus! quanti Regnorum interitus! qui certe ſine populorum maxima calamitate eſſe non potuerunt: neque enim is, qui imperat, ruere poteſt, quin ſecum eos, quibus imperat, in eamdem perniciem atque exitium trahat. In tanto autem motu rerum ac perturbatione, ſola Gallia in ſuorum Regum fide benevolentiaque perpetuo conquievit. Vidit ſane miſerrimas funeſtiſsimaſque externorum regnorum orbitates, atque eum cepit animo dolorem, quem homines ex hominum incommodis capere decet: ſed tanto inde major ejus voluptas eſſe debuit, quanto ſe majori periculo ereptam ſenſit ac liberatam: quandoquidem ſecundae res fere ex contentione magis, quam ipſae per ſeſe cognoſcuntur. Extulit quidem multos Reges, quod neceſſe fuit in tanta diuturnitate Imperii, eorumque funus omnibus doloris ſignificationibus, uti par erat, proſequuta

eſt:

eſt : verumtamen ad luctum illum leniendum, tam pia praeſertim ac juſta de cauſa ſuſceptum, quantum haeredis ex eadem ſtirpe ſuperſtitis praeſentia valere potuit, cui in demortui Regis locum ſtatim ſuffecto concreditam ſe ac commendatam videret !

Haec hujuſmodi ſunt, Quirites, ut ad tantam felicitatem nihil propemodum addi poſſe videatur. Verum iſta tanta felicitas ita in Gallico Imperio jam inde ab octo ſaeculis inveteravit, ut paene eum laetitiae motum, & quaſi voluptatis titillationem amiſerit, quam laetae res ac jucundae afferre ſolent. Magnum quiddam, extraordinarium, inuſitatum perpetua iſta, ſtabilis ac ſecunda fortuna deſiderat. Quod quidem ita Galliae conceſſum fuit, ut non tamquam vulgari ac communi gaudio laetari, ſed incredibili quadam, ac praeter omnem morem inſolita voluptate geſtire atque exſultare debeat. Quid enim ad eam, quam dico, felicitatem augendam cumulandamque aut opportunius expeteret, aut conducibilius excogitaret, quam quod ei nuperrime ſingulari Dei benignitate contigit? Fruebatur quieta ac pacata praeclariſsimi ac clementiſsimi Regis dominatione (de LUDOVICO Decimo Quinto loquor) cujus Imperii prima illa initia ad Regni totius tranquillitatem ac Catholicae Religio-

gionis incrementa ſpectarunt. Videbat, illum non tam florentem annis, quam rebus geſtis, in Italia, Belgio, Germania, Polonia ſtrenue fortiterque pugnantem, ac novis ubique acceſsionibus Imperii fines aut certe gloriam propagantem. Quod unum optare poterat, ut praeſtantiſsimus Rex haeredem ex ſe ſe genitum in ſpem gentis ac regni ſubmitteret, jam impetrarat. Impetrarat autem talem, qualem ſibi vix meliorem ipſa fingere potuiſſet, ſingulari pietate, fide, juſtitia, liberalitate praeditum, qui ad reliquas animi dotes egregiaque ornamenta bellicam etiam laudem ac virtutem adjungeret, qui vivam atque expreſſam clariſsimi Patris, atque invictiſsimi Regis imaginem repraeſentaret. Quid amplius velle poterat Gallia? quid praeterea requirere? quid exſpectare? ſiquidem conſequuta jam illud erat, quod unum adeptae caeterae gentes vulgo contentae eſſe ſolent, & in quo uno ſummam Imperii felicitatem ſitam ac collocatam putant. Verum ſit hoc aliis gentibus merito ac jure ſatis; at Gallicae felicitati, quam inuſitatam omnino atque extraordinariam eſſe dixi oportere, certe non ſatis. Ecce igitur novus haeres Gallico Imperio repente datus, novus Regni ſucceſſor in lucem editus; & in SERENISSIMI BURGUNDIAE DUCIS ortu Galliae felicitas incredibilem in

D mo-

modum exaggerata. Hic jam certe non erit, quo Gallia, quae tres uno tempore fortunarum suarum auctores statoresque videat, patrem quidem sibi nunc imperantem, filium vero ac nepotem olim imperaturos, quaeque propterea tamquam ex triplici jucunditatis fonte non modo praesentis hauriat, sed etiam futurae ad longam annorum seriem felicitatis voluptatem præcipiat, hic, inquam, non erit, quo spe ac votis ulterius progrediatur. Immo vero est, Quirites. Non ego hoc loco novum quoddam felicitatis genus, quod quidem mente percipi posit, re autem ipsa exsistere nequeat, animo ac cogitatione informabo mea. Dicam id, quod vos ipsi profecto mihi assensuri sitis. Etenim, amabo vos, nonne ea aetate, & integra, & florente, LUDOVICUS Decimus Quintus est, ut, cum recens hujus SERENISSIMI BURGUNDIAE DUCIS avus factus sit, alterius ab hoc ipso procreati filii proavus esse posit? Excipio, uti decet, humanos casus incertosque eventus valetudinis, quos neque de se, neque de altero quisquam praestare potest. Verum, cum LUDOVICUS Rex aetate vigeat, cum ejus Regius filius firma corporis & virium habitudine utatur, cum hic BURGUNDIAE DUX optime constitutis parentibus natus bellissime valeat, quid est quamobrem hoc Gallia sperare non posit? quid? cur Gallico Imperio nos idem

idem ex animo non apprecemur ? Verum ista missa faciamus, Quirites; neque enim Gallia in tanta prosperitate rerum, in tam secunda eximiaque fortuna, vota facere necesse habet, & felicitatem suam in futuri temporis spem differre, incertisque humanarum vicissitudinum casibus eventisque committere; est, est, inquam, cur modo gaudeat, cur mirifica quadam atque inusitata voluptate perfundatur, cur se prae cunctis gentibus beatam ac felicem agnoscat; quippe quae, quod aliae gentes aut numquam omnino, aut non nisi perraro consequutae sunt, cumulatissime adepta sit. Quamobrem sinat eas illius boni, quod iis nondum obvenit, spe atque exspectatione sustentari: ipsa vero, quandoquidem superis ita visum est, ut hoc solatio minime indigeret, hujus ipsius boni perceptione multo certe optabiliore ac jucundiore perfruatur.

At quale est, quantumque hoc bonum, Quirites! Tale audebo dicere ac tantum, ut ad retinendum illum, in quo nunc est, longe amplissimum dignitatis statum, nihil ei a Deo opportunius donari atque impertiri potuerit. Ea est humanarum rerum natura atque conditio, ut a parvis plerumque initiis sensim augescentes, & suos processus habeant & incrementa; cum vero ad summum pervenerint, nisi tum vel maxime

me quamfirmiſſime ſuſtententur, mole propemodum ſua collabantur ac corruant. Id potiſſimum in potentiſſimorum populorum Imperiis, quae quondam ampliſſima floruerunt, nunc nulla ſunt, maxime declaratum eſt. De Gallico ſi forte tale aliquid aliquando verendum fuit, nunc certe ea cura atque timore liberati ſumus. Sic enim ſentio, in hoc SERENISSIMO BURGUNDIAE DUCE non tantum ſingulare ornamentum Galliae acceſſiſſe, ſed firmiſſimum ad perennitatem eſſe praeſidium conſtitutum. Age, qui rerum ſtatus modo in Gallia ſit, quam omni ex parte felix, quam florens, quam beatus, quam denique in ſummo rerum faſtigio, ut, cum vix quicquam, quo altius, tamquam aedificium, evadat, ſuperſit, laborare quodammodo mole ſua ac magnitudine videri poſſit, mecum, quaeſo, conſiderate: tum facilius ſtatuetis, num mediocriter laetari vos deceat, ad tantam tamque excellentem atque exaggeratam fortunam retinendam ac conſervandam, tantum hoc praeſidii ac firmamenti eſſe comparatum. Atque utinam, Quirites, hoc loco tantum mihi temporis ad dicendum concederetur, quantum ad res tam varias, tam incredibiles ac prope divinas perſequendas tribui mihi darique exoptarem. Quamquam, me ne Gallicae virtutis ac fortitudinis monumenta paene infini-

infinita, bella, victorias, triumphos oratione mea complecti posse, voce ac viribus sustinere? Illud verissime dicam, Gallicam gentem postremis hisce praesertim annis eo usque amplitudinis progressam esse, quo se vix, ac ne vix quidem felicissima caeteroquin ac fortunatissima semper natio, rerum praeclare gestarum fama ac magnitudine processuram existimasset. Nam, per Deum immortalem! ab Ludovico illo Justo ad hoc usque tempus quanta Gallico Imperio dignitatis facta fuit accessio? quanta gloriae lux oborta est? quantus splendor affulsit! O diem illum, Quirites, toti Galliae faustum ac salutarem, atque ad immortalitatis memoriam consecrandum, quo die Ludovicus Decimus Tertius Sanctissimae Dei Genitrici, eidemque Virgini integerrimae, Se Imperiumque suum, quod bene prospereque eveniret, solemni ritu augustaque caeremonia consecravit! Et bene sane prospereque cuncta evenerunt. Quid non actum hisce annis a Gallis fuit? quid non summa cum laude gestum? Arma sumpta, qua ad propriam, qua ad aliorum defensionem, & inaudito quodam animi robore, atque integerrimis ad hanc diem tractata viribus. Bella paene innumerabilia summo consilio ac virtute administrata, & fere semper optabili exitu felicique confecta. Numquam

quam de summa Imperii, quod in discrimen adduceretur, dimicatum; sed fere longe ab domo ac Regni propugnaculis bellatum est, & quamsaepissime debellatum. Victi profligatique hostes, fugati exercitus, caesa agmina, arces dirutae, captae urbes, oppida recepta, provinciae in ditionem potestatemque redactae, Regnum ditatum opibus, potentia provectum, accessionibus amplificatum; ubique Gallicae virtutis ac felicitatis tropaea non ad exigui praedicationem temporis, sed ad futurorum saeculorum memoriam sempiternam constituta. Atque, ut non omnia consecter, neque tamen omnia silentio premere ac praeterire videar, poteritne ulla umquam aetate celeberrima illa ac longe clarissima Ludovici Magni Batavica expeditio oblitterari! Obstupuit enimvero tunc Europa universa, cum res tantas, tam magnas, tam illustres, tam inauditas, tanta tamque incredibili felicitate ac celeritate confectas audivit. Obstupescent certe posteri omnes, cum tot connexos victoriis triumphisque dies legent, secumque statuent, tot ab uno Rege, uno tempore, uno belli impetu praeclara patrata fuisse facinora, quot profecto non ad unius Regni atque Imperii, sed ad omnium prope Regnorum atque Imperiorum felicitatem stabiliendam constituendamque sufficerent.

Quod ſi a bellica laude, qua tantopere Galli noſtra memoria excelluerunt, bonarum artium ſtudia minime ſejungenda putemus, quid huic genti abeſſe arbitrabimur, quominus eam ad ipſum ſummae felicitatis faſtigium perveniſſe credamus? Conſtat enim, ingenuas artes liberaleſque diſciplinas in bene cultis atque inſtitutis nationibus eſſe plerumque conſueviſſe magnae adminiſtras comiteſque fortunae. Quod cum olim in Graecorum illo, atque hoc ipſo veſtro, Quirites, Romano Imperio, cum maxime opibus ac potentia floreret, tum recentiſſime in Gallico re comprobatum ac patefactum eſt. Atque hic ſoli ne Galliae litterarum ac diſciplinarum amplificationem, an exteris etiam gentibus ac nationibus gratulabor? propterea quod fructus, qui ex iis maximi atque uberes percipiuntur, non unius regionis finibus continentur, ſed quamlatiſſime pertinent, atque ad omnium gentium commodum utilitatemque dimanant. Jam commoda, quae hiſce annis in litteratorum Remp. univerſam e Gallia profecta ſunt ampliſſima & maxima, quis ignorat? Silebo igitur & praeteribo tot Academias, bonis artibus regiis impenſis conſtitutas, magnificentiſſima praemia ad ingeniorum incitamentum propoſita; incredibilem librorum vim, qui omni doctrinae atque eruditionis gene-

genere referti quotidie e Gallia ad nos perferuntur. Illud vero, quo nihil certe in omni historia occurret illustrius, quod nulla umquam delebit oblivio, quod litterae omnes semper loquentur ac praedicabunt, sileri a me ac praeteriri qui poterit? Nam, quantum putatis non tam ad communem hominum utilitatem, quam ad litterarum ipsarum decus contulisse illam alteram, nihilo certe minus, etsi diverso in genere, priore, de qua dixi, illustrem atque omnium ore celebratam expeditionem, a LUDOVICO Decimo Quinto regia plane munificentia ac liberalitate adornatam, atque a delecta Gallorum manu in ultimas orbis terrae partes, ad terrae ipsius figuram formamque definiendam, incredibili alacritate ac virtute susceptam? Ea plane ostensum est, non majore propagandi Imperii, quam bonarum artium amplificandarum studio ardere Gallos; atque in incerto relictum, utra laude praestare dicendi sint, qui utraque commendatissimi ac cumulatissimi reperiantur. Hic est, quambrevissime ac parcissime potuit, oratione mea perstrictus ac veluti adumbratus praesens rerum in Gallia status, haec florens ac beata felicissimi Regni conditio. Porro in tantis Imperii opibus, tanta copia, tanto splendore, tanto apparatu fortunae nonne optatissimum maximoque opere laetandum exi-

existimare debetis, summi Imperii conservationi atque adeo aeternitati tam certa stabilique ratione a Deo immortali esse consultum? Videte, ne quod in privata familia, sit modo illa paullo nobilior atque opulentior, optare atque expetere soletis, id in ea, in qua tot provinciarum ac populorum bona, vita, salus, felicitas, incolumitas, Imperii denique florentissimi ac clarissimi fortuna vertitur, negligendum putetis.

Hic illud fortasse occurret, Quirites, quid tantopere expetendum sit recens hoc Gallici Imperii praesidium, siquidem Regia BORBONIORUM Familia, praeterquamquod in ipso DELPHINO satis acquiescit, ita Stirpibus hodie floret atque adeo propagata est, ut etiam si novo hoc praesidio careret, non magnopere neque ei, neque Gallico Imperio timendum esse videretur. Quid hoc loco dicam, Quirites? quo me vertam? quo potissimum responsionis genere mihi utendum putem? Negabo hoc esse verum? & vetustissimam gentem jam ad paucos redactam esse contendam, ut in uno tantum aut altero haerede ejus spes omnis ac fiducia nitatur? O BORBONICAE Familiae nomen! O longe lateque deductum ac propagatum, si umquam alias, hoc praecipue tempore clarissimum ac nobilissimum genus! ut non unius Gallici Imperii finibus con-

cludatur, ſed longe ampliſſimis ac prope immenſis provectum ſpatiis ipſa etiam externa Regna atque Imperia dominatione ac poteſtate complexum ſit. Circumſpicite, circumſpicite Hiſpaniam, Italiam, Europam univerſam, BORBONIORUM luce ac ſplendore circumfuſam. An ex ea ſtirpe Reges umquam Galliae defuturos poſſumus ſuſpicari, ex qua externae ipſae gentes ac populi ſibi certatim Reges optarunt atque adſciverunt? Quid? ſi unus aliquis BORBONICAE Familiae Ducibus, qui modo Galliam praeſentia ſua ac virtutibus illuſtrant totam (iis tribus, qui potiuntur nunc rerum, potiturique deinceps ſunt, paullisper cogitatione remotis) Regno admoveretur, Galliae ne ipſius commodis atque incolumitati minus conſultum putarem? Proh ſuperum atque hominum fidem! Equidem, ſi quando mihi ante oculos propono Condaeos, Contios, Aurelianenſes, ex una eademque BORBONIA ſtirpe generatos, quot veros in iis germanoſque BORBONIOS agnoſco, totidem praeſtantiſſimos Reges videre mihi videor atque intueri. Poſſumne umquam oblivisci, quae Henricus ille Condaeus pro Religione Catholica adverſus Hugonotos praeclare geſſit? quae Ludovicus item Condaeus bellicae virtutis ac magnanimitatis exempla edidit? quae illius Henrici filius alter

Arman-

Armandus, & Contiorum Dux primus laudum ſuarum monumenta poſteritati reliquit? Nam quantum ad Gallici Imperii regimen Aurelianenſes Duces facti comparatique ſint, ſatis ex eo, qui noſtra memoria, poſt Ludovici Magni deceſſum ſumma fide atque integritate Galliae Regnum adminiſtravit, quivis intelligat. Et quiſquam erit, qui tot praeclariſſimos ac praeſtantiſſimos Duces incredibili quadam atque inaudita virtute praeditos, clariſſimis Majoribus ortos, &, quod praecipuum eſt, ex BORBONIA ipſa ſtirpe ac genere natos, Gallico Imperio minus idoneos a me exiſtimari ſuſpicetur? Quamquam quid plura colligo? perinde quaſi non is eſſet exorſus orationis meae, atque hactenus in eo multum non laboraverim, ut docerem, in hac ipſa admirabili ac plane ſingulari Regiarum in Gallia ſtirpium propagatione Galliae ipſius felicitatem ſitam eſſe ac collocatam. Do igitur, quod vultis, non contendo, non repugno, & facile patior, me eo, unde paullum, neceſſaria recentis Gallicae felicitatis commemoratione, digreſſus eram, a vobis fuiſſe revocatum. Sed certe ita mihi perſuadeo, voſque idem, Quirites, exiſtimare neceſſe eſt, de hac ipſa tanta Galliae felicitate immenſum quiddam deceſſurum, ſi eo res adducerentur, ut ad cognatas ſtirpes

esset (quod omen vel ipsae maxime aversantur ac reformidant) deveniendum. Tantam enim rem, atque ejusmodi, in quam non modo Principum ipsorum, sed etiam privatorum fortunae mutationem maximam fieri necesse esset, sine maximo populorum motu, aliis alio, partim odio ac timore, partim amore ac cupiditate, conversis atque spectantibus, transigi posse arbitramini? Quid? si nihil a domesticis periculi impenderet, nihil ne ab externis publicae Regni quieti ac tranquillitati esset magnopere pertimescendum? Quam parvis atque adeo minimis saepe momentis magnae in magnis Imperiis conversiones perturbationesque fiant factaeque sint, non ignoratis; ut proinde, quid tum fortasse eventurum esset, per vos ipsi videre ac prospicere possitis.

Et sane BORBONIA Familia non ad ultimum certe interitum redacta erat, quin tum in Regis fratre, & Condaeis Ducibus nitebatur, cum Ludovicus Tertius Decimus in spem Sobolis propagandae juncta sibi matrimonio Anna Austriaca, lectissima ac rarissima fœmina, nuptiisque regali apparatu ac magnificentia celebratis, totum Galliae Regnum inusitato gaudio laetitiaque complevit. Erat in exspectatione omnium tanti conjugii soboles, quae nuptiarum fructus multo suavissimus ac jucundissimus esse solet,

eaque

eaque universae Galliae votis ac precibus expetebatur. Quicumque ex tali tantoque Rege Filius natus esset, nemo dubitabat, quin ad summam Imperii totius felicitatem editus foret; &, quasi animi praesentirent in posterum, talem sibi & virtute & rebus gestis & victoriis & caeteris ornamentis omnibus cumulatum cogitatione adumbrabant, qualem prope certo, uti eventus postea demonstravit, siquidem susceptus esset, futurum ominabantur. Verum diu multumque Galliae dilata vota: unus, alter, tertius, eoque plures anni abeunt; nec tamen Regina uterum gerit, nec proles ulla suscipitur. Sed nondum omnis intercisa spes sobolis; quin, quanto illa longinquius ostentata, tanto vehementius expetita. Ubi autem eo ventum est, ut annus secundus supra vicesimum ageretur, ex quo frustra clarissimo Regi filius exposcebatur; tunc enimvero Gallia universa quasi improviso ictu perculsa concidit: animum despondere: desperare rebus suis, se miseram atque infelicem, se plane perditam, se superis omnibus invisam nuncupare. Non illam invictissimi Principis res gestae, non bella, non triumphi, non monumenta consolabantur. Intuebatur non sine lacrymis Regem suum, supplices tendebat manus, atque eum quodammodo, quod sibi haeredem negaret, incusare videbatur;

batur; tantumque aberat, ut optatissimi Regis levaretur aspectu, ut potius ejus praesentia conceptus intimis sensibus dolor recrudesceret. Hanccine fidem, hanccine pietatem, constantiam, religionem minime instaurandam esse ac revocandam? virtutemne tantam exstingui penitus atque deleri? o frustra suscepta vota! o spes inanes! o miserum ac certe miserandam conditionem! Has ego Galliae, in eo rerum articulo constitutae, voces ac querimonias fuisse crediderim, Quirites; quae certe graviores esse debuerunt, quam cujusquam nostrum mens aut animus suspicari possit: neque enim de alienis malis perinde ac de nostris commoveri solemus; atque oratori perdifficile est ea ita explicare verbis, ut aeque acerba illis, qui audiunt, videantur esse, ac iis visa sunt, qui senserunt. Sed quorsum ista? nempe ut ex eo luctu ac prope desperatione intelligatis, non nisi certa atque praesenti Regnantis sobole opulentissimo regno satis consultum videri debere; &, quo major fortuna est atque excellentior, eo majora ad illam retinendam requiri praesidia; semperque timori locum esse, quoties illa desint, atque eorum magna quaedam vis ac copia non adsit.

Sed quid ego tam longinqua atque acerba commemoro? Abiit jam tempus illud metus ac solli-

ſollicitudinis, ſatis profecto Ludovico illo Magno, qui tandem aliquando precibus impetratus fuit, atque abunde compenſatum. Facite igitur potius, Quirites, ut ab eo luctu ac moerore animos veſtros ad praeſens hoc gaudium atque ad hanc recentem laetitiam traducatis. Quid enim ſibi vult iſta tanta exſultatio, qua propemodum tota urbs ſedibus ſuis commoveri viſa eſt? quid equorum illi curſus ſignificant, tanta pompa ac frequentia celebrati? quid apparatiſſimum epulum, tanto ſplendore ac regia plane magnificentia exſtructum? quid ſcenae illae elegantiſſimae, & laetiſſimis vocibus perſonantes? quid denique tot munera Populo Romano data declarant? Equidem non video, quid aut ad laetitiam hilarius, aut ad apparatum inſtructius, aut ad liberalitatem ſumtuoſius atque ſplendidius Roma videre potuiſſet, ſi poſt longam votorum exſpectationem is demum filius impetratus eſſet, in quo uno totius Regni ſalus atque incolumitas contineretur. Nimirum magnum quiddam, ac prope ad Gallici Imperii felicitatem conſtituendam neceſſarium, in hoc SERENISSIMO BURGUNDIAE DUCE a Deo oblatum eſſe dicendum eſt, quandoquidem hujus ortus tantam omnibus affert jucunditatem, tantiſque gratulationibus ac muneribus celebratur. Quod ſi is fuit in hac urbe leatitiae

titiae motus, ut major propemodum esse non potuerit, qualem ac quantum in ea fuisse arbitramini, quae Gallici princeps est ac domicilium Imperii? Nonne cum illa, tum Gallia universa exsilire gaudio atque exsultare ac prope insanire debuit? Et merito quidem. Videt enim, & multo sane melius, quam nos, Gallia prospicit, quo loco ejus fortuna sit, quid publicae, quid privatae rationes ferant, quid rerum suarum intersit, quid Regni totius utilitas postulet; nec tantorum ornamentorum, quibus ad hanc diem praestantissimorum Regum virtute ac felicitate adaucta fuit ac cumulata, oblivisci potest: ea assidue ob oculos habet, ea contemplatur, nec sine mirifica quadam animi voluptate intuetur; quæ omnia cum in hoc BURGUNDIAE DUCE sibi retenta ac conservata sentiat, non potest non inusitato gaudio efferri ac leatabunda gestire. Intelligit, nihil sibi periculosius accidere posse, quam longam hanc Regum suorum atque adeo heroum seriem minime continuari, a qua & præsentem fortunam suam agnoscit, & futuram exspectat: ut, etiam si fore prospiceret, ut adulto hoc BURGUNDIAE DUCE parum commodo, aut propter inopiam consilii, aut alia de causa, uteretur, non idcirco tamen in ejus ortu sibi minus laetandum esse ac gaudendum existimaret. Tanta

ta enim ostenditur in perpetua Principum ejusdem non gentis solum, sed etiam familiae, successione opportunitas, ut reliqua incommoda prope contemnenda esse videantur.

Quid vero, si qualis evasurus sit BURGUNDIAE DUX, quam sibi utilis, quam toti Regno, si quidem olim Imperium nanciscatur, salutaris, indicio aliquo minime dubio assequi possit? quid? si jam nunc de tota ejus vitae ratione cognoscere, de studiis, de moribus, de virtutibus prope certo conjicere? Atqui hic etiam ad Galliae praesentem felicitatem cumulus accedit, ut de futura quoque Infantis hujus praestantia & de mirificis ex ea in se olim redundaturis commodis possit sibi in antecessum atque adeo hoc ipso tempore gratulari. Sed fortasse non eo verbo, quo decuit, usus sum, Quirites, qui hunc Galliae felicitatis cumulum dixerim; terminum enim verius debui dicere. Nam majorem hac felicitatem potestisne vos animis vestris excogitare, aut mente fingere atque complecti? Ego certe quo jam progredi oratione mea possim, plane non video. Huc usque (quando paullo altius ordiri mihi visum est, & Gallici Imperii felicitatem non usitato fortasse more persequi, sed ex iis ipsis haurire fontibus, unde illam hactenus dimanasse mihi persuadeo, & fore confido, ut etiam in posterum perenni & numquam in-

termittenda derivatione profluat) huc uſque , inquam , quantum conniti ingenio potui , rem totam deduxi , ut eam ulterius provehere me poſſe deſperem . Atque hic obſecro , Quirites , quaeſoque , ut Regii hujus Infantis Avum , Patrem , Matrem non ſtantes ac contemplantes , quod per tempus non licet , & orationis vela contrahenda jam ſunt , ſed quodammodo tranſeuntes intueamini . Qui ſpectatiſſimo Patre , qui optima Matre natus ſit , qui Avum clariſſimum Regem habeat , atque in his & egregiarum incitamenta laudum , & maximarum documenta virtutum , hunc ego & pium & juſtum & fortem & ſapientem & liberalem futurum certo ac ſine haeſitatione pronuncio : praeſertim cum dubitari non poſſit , quin idem in eam , in quam ſuſceptus eſt , ſpem plane magnam , quamliberaliſſime ac Regie ſit educandus . Accedit huc titulus ipſe BURGUNDIAE DUCIS , quo inſignitus eſt , quique non tam nomen dignitatis erit , quam invitamentum virtutis . Quoties ſe BURGUNDIAE DUCEM appellari audiet , toties profecto illius alterius BURGUNDIAE DUCIS , proavi ſui , recordabitur . Recurſabunt animo illius integerrimi viri religio , pietas , innocentia , caeteraeque virtutes non tam litterarum monumentis conſignatæ , quam in Gallorum omnium animis defixae ac memoriae altius impreſſae , quam

quam ut oblivione ulla deleri possint; qui morte sanctissime obita anno aetatis suae tricesimo, hujus saeculi duodecimo, ad superorum concilium, uti credere fas est, evolavit. Haec omnia SERENISSIMUM hunc BURGUNDIAE DUCEM talem futurum, qualem Gallia maxime cupit, nosque omnes ei sincere atque ex animo optamus, certo spondent ac pollicentur.

Quid restat igitur, nisi ut tantam felicitatem primum Regiae Familiae, tum Galliae, deinde Vobis, post Sodalibus meis, tum ad extremum omnibus gratuler: LUDOVICO quidem Regi nepotem suavissimum, SERENISSIMO DELPHINO ejusque lectissimae Conjugi carissimum filium; quos sane decet magis, quam caeteros laetari, cum per ipsos effectum sit, ut caeteri laetarentur, quippe qui tale ac tantum Gallico Imperio praesidium genuerunt: Galliae vero firmissimum columen, quo innixa, uti hactenus stetit, stabit etiam in posterum omne tempus, & vigebit quotidie magis, nihilque formidabit adversi, quod ejus dignitatem infringere ac labefactare possit. Vobis autem etiam, Quirites, maximopere gratulandum esse censeo, quod eorum Regum Imperium tam praeclare constitutum videatis, quibus tot nominibus obstricti obaeratique estis. Jam inde ab initio dixi, quanta inter eos, atque hanc

Urbem, Catholicae Religionis ſedem ac domicilium, intercedat neceſſitudo. Scitis, quo ſtudio erga illam ipſam Catholicam Religionem Gallorum Reges ſemper fuerint. Merita Pipini, Caroli Magni, Ludovicii Pii, aliorumque erga vos plane innumerabilia atque immortalia non ignoratis. Non qualicumque beneficio aut munere contenti fuerunt, ſed integras provincias, atque eas ipſas, in quas cum imperio mitti ſoletis, Romano Pontifici large effuſeque donarunt. Ex quo Clodovaeus ille Chriſtiana Sacra ſuſcepit (cujus illud exſtat memoriae proditum plane ſingulare, quod ſolus eo tempore Rex Catholicus exſtitit, caeteris cum Orientis tum Occidentis Regibus, aut praviſſimis, vel Arianorum, vel Acephalorum, aliarumve hujuſmodi peſtium, opinionibus implicitis, aut impuriſſimis Gentium ſuperſtitionibus contaminatis: unde etiam factum fuit, ut inſignibus Gallorum Regum titulis honorificentiſſimum Eccleſiae (*a*) Primogenitorum agnomen accreverit, atque ad conſequentes Reges tamquam haereditario jure devenerit) ex eo tempore numquam Gallorum Regum defecit pietas, numquam ardor ille Catholicae Religionis defendendae amplificandaeque deferbuit. Borbonii vero Reges,

(*a*) Longuevallius Hiſt. Gallic. tom.2. lib.5. Pallav. Hiſt. Concil. Trident. lib.21. c.9. n.1. & lib.14. c.5. n.1. & Bullae Pontif.

ges, qui ab Sancti Ludovici, Hierosolymaria illa expeditione celeberrimi, filio altero Roberto genus repetunt suum, satis ostenderunt, hodieque ostendunt, nihil illis antiquius esse, quam avitam Religionem, atque a Majoribus traditam, sartam tectamque conservare. Quamobrem videtis, Quirites, quantum horum Regum favere commodis, studere felicitati, & quo demum animo erga ipsos esse debeatis. Quod ad sodales meos attinet, quorum nomine haec habita a me Oratio est, perstringam breviter: tanta extitisse Gallorum Regum erga nos beneficia, ut eorum numerus iniri non possit. Atque ut alios praetermittam, Ludovicus ille Magnus tot Societati nostrae partim attribuit, partim reditibus auxit, partim de integro condidit domicilia, ut prope ad triginta numerentur. LUDOVICUS vero Decimus Quintus nihil profecto Majoribus suis de amore erga nos ac beneficentia concedit, a quo cum summa acceperimus beneficia, immensum quiddam nos illi debere sentimus. Satis opinor hoc nobis esse causae, cur nos etiam in hujus gratulationis partem veniamus. Dixi postremo loco, hoc gratulationis officium ad omnes, quocumque tandem ordine, genere, fortuna, aut etiam natione sint, pertinere. Nam, praeterquamquod unius Regni securitas atque tranquillitas cum externorum etiam Regnorum quie-

te

te atque otio, propter mutuam quamdam publirum rerum inter se consensionem, implicita est & cohaeret, hunc BURGUNDIAE DUCEM tamquam pacis, quae certe ad omnes pertinet, alumnum intueri sane nos ac reputare debemus; quippe qui tempore pacis natus sit, & felicissimo partu a Matre in lucem editus; ut non privatae solum unius Regni, sed publicae omnium gentium felicitati ac tranquillitati susceptus videatur. Extremum igitur illud est, ut, cum omne genus hominum felicitatis hujus atque gratulationis particeps sit, nemo non Deo Optimo Maximo, bonorum omnium auctori ac largitori, & gratias immortales agere, & libentissime pro salute atque incolumitate SERENISSIMI BURGUNDIAE DUCIS supplicare debeat, qui, uti dicebam, datus nobis atque oblatus est tamquam illius ipsius exspectatissimae pacis obses, qua utinam, post maximi gravissimique belli jactationem, sin minus perpetua, quod optandum magis, quam exposcendum videtur, saltem quamdiutissima perfruamur.

DIXI.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rm̃o Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Patriarcha Conſtant. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Joſeph Auguſtinus Orſi Ordinis Praedicatorum Sac. Palatii Apoſt. Mag.